

L'improvviso ritorno del padrone

Personaggi in scena

TRANIO: servo di Teopropide

PHILOLACHES: figlio di Teopropide

CALLIDAMATES: amico di Filolachete

DELPHIUM: amante di Callidamate

SPHAERIO: servo di Filolachete

- TRANIO Iuppiter supremus summis opibus atque industriis me periisse et Philolachetem cupit erilem filium.
- 350 Occidit Spes nostra, nusquam stabulum est Confidentiae, nec Salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest: ita mali, maeroris montem maximum ad portum modo conspicatus sum: erus advenit peregre, periit Tranio. Ecquis homo est, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
- 355 qui hodie sese excruciarum meam vicem possit pati? Ubi sunt isti plagipatidae, ferritribaces viri, vel isti qui hosticas trium nummum causa subeunt sub falas, ubi [...] denis hastis corpus transfigi solet? Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit;
- 360 sed ea lege, ut offigantur bis pedes, bis brachia. Ubi id erit factum, a me argentum petito praesentarium. Sed egosumne infelix, qui non curro curriculo domum? PHILOLACHES <Adest> adest opsonium. Eccum Tranio a portu redit. TR. Philolaches. PHIL. Quid est? TR. <Et> ego et tu. PHIL. Quid et ego et tu? TR. Periimus.
- 365 PHIL. Quid ita? TR. Pater adest. PHIL. Quid ego ex te audio? TR. Absumpti sumus. Pater inquam tuos venit. PHIL. Ubi is est, obsecro? TR. Adest. PHIL. Quis id ait? Quis vidit? TR. Egomet inquam vidi. PHIL. Vae mihi. Quid ego ago? TR. Nam quid tu, malum, me rogitas quid agas? Accubas. PHIL. Tutin vidisti? TR. Egomet, inquam. PHIL. Certe? TR. <Certe> inquam. PHIL. Occidi,
- 370 si tu vera memoras. TR. Quid mihi sit boni, si mentiar? PHIL. Quid ego nunc faciam? TR. Iube haec hinc omnia amolirier. Quis istic dormit? PHIL. Callidamates. Suscita istum, Delphium. DELPHIUM Callidamates, Callidamates, vigila. CALLIDAMATES Vigilo, cedo [ut] bibam. DEL. Vigila. Pater advenit peregre Philolachis. CALL. Valeat pater.
- 375 PHIL. Valet ille quidem, atque <ego> disperii. CALL. Bis periisti? Qui potest? PHIL. Quaeso edepol, exsurge; pater advenit. CALL. Tuos venit pater? Iube abire rursus. Quid illi reditio etiam huc fuit? PHIL. Quid ego agam? Pater iam hic me offendet miserum adveniens ebrium, aedis plenas convivarum et mulierum. Miserum est opus,

- 380 igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet;
sicut ego adventu patris nunc quaero quid faciam miser.
TR. Ecce autem <iterum> hic deposivit caput et dormit. Suscita.
PHIL. Etiam vigilas? Pater, inquam, aderit iam hic meus. CALL. Ain tu, pater?
Cedo soleas mihi, ut arma capiam. Iam pol ego occidam patrem.
- 385 PHIL. Perdis rem. DEL. Tace, amabo. TR. Abripite hunc intro actutum
inter manus.
CALL. Iam hercle ego vos pro matula habeo, nisi mihi matulam datis.
PHIL. Perii. TR. Habe bonum animum: ego istum lepide medicabo metum.
PHIL. Nullus sum. TR. Taceas: ego qui istaec sedem meditabor tibi.
Satin habes, si ego advenientem ita patrem faciam tuom,
- 390 non modo ne intro eat, verum etiam ut fugiat longe ab aedibus?
Vos modo hinc abite intro atque haec hinc propere amolimini.
PHIL. Ubi ego ero? TR. Ubi maxime esse vis: cum hac, cum istac eris.
DEL. Quid si igitur abeamus hinc nos? TR. Non hoc longe, Delphium.
Nam intus potate hau tantillo hac quidem causa minus.
- 395 PHIL. Ei mihi, quam istaec blanda dicta quo evenant madeo metu.
TR. Potin animo ut sis quieto et facias quod iubeo? PHIL. Potest.
TR. Omnium primum, Philematium, intro abi, et tu, Delphium.
DEL. Morigerae tibi erimus ambae. TR. Ita ille faxit Iuppiter.
Animum advorte nunciam tu quae volo accurarier.
- 400 Omnium primumdum aedes iam face oclusae sient;
intus cave muttire quemquam siveris. PHIL. Curabitur.
TR. Tamquam si intus natus nemo in aedibus habitet. PHIL. Licet.
TR. Neu quisquam responset, quando hasce aedis pultabit senex.
PHIL. Numquid aliud? TR. Clavem mi harunc aedium Laconicam
iam iube efferri intus: hasce ego aedis ocludam hinc foris.
- 405 PHIL. In tuam custodelam meque et meas spes trado, Tranio.

TR. Pluma haud interest,
patronus an cliens probior siet.
Homini, cui nulla in pectore est audacia,
- 410 nam cuivis homini, vel optumo vel pessumo,
quamvis desubito facile est facere nequiter:
verum id videndum est, id viri docti est opus,
quae designata sint et facta nequiter,
tranquille cuncta et ut proveniant sine malo,
- 415 ne quid potiatur, quam ob rem pigeat vivere.
Sicut ego efficiam, quae facta hic turbavimus,
profecto ut liqueant omnia et tranquilla sint
neque quicquam nobis pariant ex se incommodi.
Sed quid tu egredere, Sphaerio? [...]
- 419a [...] TR. Optime.
- 420 Praeceptis paruisti. SPHAERIO Iussit maximo
opere orare, ut patrem aliquo absterres modo,
ne intro iret ad se. TR. Quin etiam illi hoc dicito,
facturum <me>, ut ne etiam aspicere aedis audeat,

- capite obvoluto ut fugiat cum summo metu.
- 425 Clavem cedo atque abi intro atque occlude ostium,
et ego hinc occludam. Iube venire nunciam.
Ludos ego hodie vivo praesenti hic seni
faciam, quod credo mortuo numquam fore.
Concedam a foribus huc, hinc speculabor procul,
- 430 unde advenienti sarcinam imponam seni.